

192 A 56500(144)  
RECENSVS  
**RECTORVM**  
**LVDOVICIANAÆ OMNIVM**

---

EXHIBITVS

QVVM

AD CELEBRANDA ACADEMIAE SOLEMNIA  
PERMVTATIONI

**RECTORALIS DIGNITATIS**  
**SACRA**

IPSO EPIPHANIAS DIE INSTITVENDA

*PATRES ACADEMIAE CONSCRIPTOS OMNES LITTE-  
RARVM FAVTORES CIVESQVE ACADEMICOS  
NOBILES SANGVINE ET VIRTUTE*

QVA DECET OBSERVANTIA ATQVE HVMANITATE  
INVITARET

**RECTOR LVDOVICIANVS**  
**D. ERNEST. FRID. NEVBAVER**

THEOL. ET ANTIQ. NEC NON LINGG. SACR. P. O.  
REI STIPENDIARIAE EPHORVS ET DEFINITOR.

---

G I S S A E

TYPIS EBERH. HENR. LAMMERS ACAD. TYPOGR.

1747.

57.

**S**Emestre effluxit spatium, quum, ad solemnem legum academicarum praelectionem, Cal. Iuliis institutam, inuitaturus, de primo academiae Gissenfis Rectore, de quo tantae fuerant eruditorum Hassorum diffensiones, differui. In praesens animus est, omnes Ludovicianae nostrae Rectores recensere. Licet enim quidam, qui post restauratam hanc academiam fuerunt, enarrati sint a IO. IVSTO VALENTINI in *Parnasso Hassiaco* ab an. 1650. ad an. vsque 1685. & a CHRISTOPH. DENSTADIO in *mnemosyno acad. illustris Gissenstum athenaei*, vsque ad annum 1694. priores tamen nullibi, nec posteriores adhuc recensiti extant. Nec caussam video, cur haec academia hac in re ceteris quidquam cedere debeat, quum permularum aliarum a) Rectores curate relatos habeamus. Neque non dignitas haec magna, inque academiis summa, hoc meretur: quam tamen ut multis praedicem, instituti mei ratio iam non permittit. Vbertim hoc praestitit Daniae quondam polyhistor THOM. BARTHOLINVS *orat. de Recloris academici dignitate*, ut  
FRI.

a) V. c. Lipsiensis, quos dederunt ZACH. SCHNEIDERVS *chron. Lips.* pag. 321. sq. & HENR. PIPPINGIVS, summus postmodum in Saxonia theologus, *ad acad. Lips. Rectorem magnif. D. SELIGMANNVM*, sacerum suum, epistola, qua depositam purpuram ipsi gratulatus est, simulque Reclorum acad. Lips. qui saeculo proxime elapso sibi inuicem successerunt, syllabum exhibuit, 1700. quae eius *syntagm. dissertt. academi.* postea accessit p. 425. sqq.

FRIDERICVM TAVBMANNVM in *Hercule, seu Rectore academico*, silentio inuoluam. *b)* In hac ipsa Ludouiciana tanta quondam eius fuit praerogatiua, vt, si & principes (exceptis, qui ex Sereniss. Hasso-Darinstadina essent domo) hic studiorum caussa degerent, locum tamen post Rectorem occupare deberent. Qua de re publica prostant testimonia. Quum enim anno MDCCVIII. duo heredes Norvviae, Slesuici ac Holsatiae Duces, atavis editi Daniae regibus, IO. GEORGIUS & IOACH. ERNESTVS sua academiae nomina dedissent, in solempni quadam panegyri philosophica, hoc ordine auditores adloquutus est notissimus ille CONR. THEODORICVS, seu DIETERICVS, *c)* vt primo *Magnificum D. Rectorem*, post *Illustrissimos ac Celsissimos Principes, Dominos clementissimos*, salutaret. Qui ordo stabilitus postea fuit litteris Principalibus, ad academiam 1617. d. 24. Ianuar. datis, vt, si Principes, Comites, Barones, hic versarentur, litteris operam daturi, illos Rectorem excipere oporteat, neminem autem eum praecire, excepto, si quis adesset, Proprincipe: qualis tunc fuit GEORGIUS RIEDESELIVS, Dominus in Eisenbach. *d)* De dignitate Rectorali id porro testa-

A 2

tur,

- b)* Legi quoque meretur HERM. CONRINGIVS *antiqq. acad.* a cel. HEVMANNO reculis, p. 189.
- c)* Oratio illa panegyrica de mixta haereticorum, in disseminandis, introducendis ac propagandis erroneis suis dogmatibus ac ritibus nouis, prudentia, die Dec. 22. anni 1608. habita, edita tunc Gissae est, ob praestantiam vero suam recusa Londini 1720, s. vt appendix ERN. SAL. CYPRIANI *diff. de propagatione haeresum per cantilenas.*
- d)* Cui ordo theologicus tomum VII. *dispp. Gissenfium* consecrauit.

tur, quod haud raro Serenissimi Principes scepra academica in hac quoque academia ( sicut in aliis multis ) ceperint, infra enarrandi, Rectoris magnificentissimi nomine condecorati. Qua in dignatione describenda occupati fuere IO. HENR. BOECLERVS *sceptro Apollinis, s. de munere Rectoris magnificentissimi & illustris quondam Fridericianae cancellarius*, IO. PET. de LVDEWIG, *de dignitate Rectoris magnificentissimi scripto, opusculis eius oratoriis num. VIII. p. 297. sqq. deinde inserto.* Idem LVDEWIGVS in *epistola ad Fridericianae ciues, e)* ea occasione, quod sine ambagibus ac caerimoniis, auctoritate regalis codicilli, primus ponere deberet tertium suum magistratum academicum, scripta, p. 5 refert, se meditatam iam fuisse oratiunculae thema: *de dignitate purpurae academicae*, quod alio tempore in publicam arenam prolaturus sit, ( & forte postea protulit ) disceptaturus *de iurisdictionis academicae origine genuina*, ubi, post alia hac de re breuiter disputata, p. 6. *hoc paradoxum*, ut ipse vocat, *insigne producit: purpuram academicam, id est, iurisdictionem vetustiore longe esse episcopali, f)* cuius hodie dignitas est principalis, *regali aemula in S. R. I. Unde, ita pergit, contentioni ducitur serra hodieque: utrum in itu ac reditu, loco cedat episcopus rectori academico?* Id quod p. 7. not. (d) exemplis illustrat variis. Etenim anno c10 10c xxxiv. academiae Viennensis Rectorem locum honoris disputasse FRANCISCO, episcopo & Principi Bambergensi, testibus *annalibus Bambergensibus tom. I. p. 1039.* Louaniensis academiae Rectorem

e) Halae 1728. d. 12 Iul.

f) Longe alia statuit CONRINGIVS l. c. p. 157.

● ) 5 ( ●

---

rem loco honoris cedere nemini, nisi Cardinali, referente NIC. VERNVLAEO in *historia Louanienſi*, cap. VI, p. 25 Denique de *Coloniensſi* ſcribere IAC. MIDDENDORPIVM de *academ.* lib. V, p. 166. quod Reſtori proximus adſignatus ſit locus ab ipſo archiepiſcopo, electore Principe.

Non puto, fore quemquam, a partium ſtudio alienum, qui exiſtimet, arrogantius haec a me, iam Reſtore, dici, & perſona theologi indignum eſſe, talia de officii huius dignitate referre aliorum iudicia. Etenim ſi haec primo regiminis academici die fuiſſem eloquutus, vel, ſi Calendis Iuliis, praelectioni legum deſtinatis, imprimi ea curaviſſem, cum ſpecie quadam mihi imputari iſta potuiſſent. At vero, quum, quo die hac dignitate abeo, alium inueſtiturus, haec ſcribo: non mihi, ſed ſucceſſoribus magnificis me conſulere quilibet fatebitur. Quod ſi meam dicere liceat ſententiam, ingemiſcendum potius eſt vanitati, cui omnis creatura, g) ſicque etiam academica, ſubieſta eſt, ſaepiusque ingemui, atque illud Salomonis Coh. I, 2. cogitavi: הכל הכל הבל *vanitas vanitatum, omnia vanitas!* Eum omnibus regiis, principalibus aliisque dignitatibus atque diuitiis multo feliciorum iudico, qui vel minimus eſt in regno coelorum. Taceo, quod hodie, ſaltem multis in academiis, vix umbra quaedam aut imago priſtinae illius eminentiae ſit reſidua. Et ſi ea ſumma quoque & tantum non ſacroſancta fuerit, innumeras tamen curas, moleſtias, aerumnas deuorare debet vel Reſtorum

---

g) Dicente Paulo Rom. VIII. 20. ſqq.

Etorum felicissimus : vt commode hic quoque vsurpare  
possis illud Mosis ex Pl. XC , 10 *excellencia eorum labor  
est & molestia* , vel , vt LVTHERVS vertit : *Wenns köst-  
lich gewesen ist , so ist Mühe und Arbeit gewesen.*

Ante vero , quam ad ipsos sceptrorum academi-  
corum administratores lustrandos pergo , vel tribus  
( nulla enim haec esse academiae arcana arbitror ) in-  
dicere mihi liceat , quis in constituendis Rectoribus ad-  
huc hic loci obseruatus fuerit mos , quis ordo , in *statutis*  
nostris nobis sancte praescriptus. *b)* Magistratus aca-  
demicus annuus semper est , conferendus viro bono ,  
prudenti , pietatis amanti , concordiae studiofo , vitae morum-  
que honestate commendato , legitimis progenito nuptiis , non  
minori viginti quinque annis , nisi forte Princeps , Comes  
aut Baro, Rectoris magnificentissimi titulo insignitus , mo-  
derandae academiae admouendus fuerit , cui tunc ex Pro-  
fessorum ordine addendus est Pro-Rector magnificus.  
Singularis

*b)* Ob certas rationes dubitarem paene , ea referre , quae re-  
fero , de solemnibus hisce Rectoralibus , nisi vir clar. IO.  
GE. HAGELGANS orbe litterato academico , Germanico-Eu-  
ropaeo f. 7. pleraque omnia iam occupasset , hic tamen ob ar-  
gumentum rationem repetenda. Quid ? quod dudum in der  
*General- und Haupt - Verordnung* num. 16. f. 24. imperatum  
fuerit , reuisa statuta typis exscribere : vt quae tam sapienter  
ac circumspecte sunt conscripta , vt lucem nequaquam refor-  
mident. Nulla insunt Eleusinia sacra. Vnde etiam partes  
statutorum quaedam ab aliis iam dudum fuerunt publicatae ,  
veluti ab illustriss. Dn. a SENCKENBERG. in *meditatt.* fasc.  
I. p. 142. sqq. integer titulus XXXI. immo tit. LXV. vsque  
ad LXXII. itemque XXXI. nec non quaedam ex tit. XVI. a IO.  
CHRIST. ITTERO *de honoribus siue gradibus acad.* p. 1 - 26.

Singulis annis, ipsis Calendis Ianuariis, permutatio Re-  
ctoralis fieri debet. Quod si vero Calendae in diem  
*solis*, quem *dominicum* vocare solemus, vel in diem *Satur-*  
*ni* seu *sabbati*, *i*) incidant, solemnia haec Rectoralia ce-  
lebrantur ipso *Epiphaniae* festo die, qui in factis est dies  
VI. Ianuarii. Rarissime obigit, ut ulterius contra le-  
ges sacratissimas dilata fuerit haec mutatio, praecipue, si  
Rector magnificentissimus constituendus nondum aduen-  
tauerit, vel ob alias quasdam causas, quas hodie non  
omnes aequae nouimus, non numquam etiam ob  
decedentis, aut noui probabiliter eligendi Rectoris mor-  
bum: & quae aliae fuerunt rationes, quas proderet re-  
ligio prohibet. Electio fit communi omnium Profes-  
sorum ordinariorum, aut maioris partis eorum, suffra-  
gio, Rectore, officio defuncto, cum Facultatis philo-  
sophicae (nisi ex illa Rector creandus sit, tunc enim ali-  
us ordinis Decanus substituendus est,) Decurione, calculos  
albos atrosue sub fide silentii colligente. Rectori Rector  
succedit secundum praerogatiuam facultatum, ita ut  
theologo Ictus, huic Medicus, Medico Philosophus  
succedat, nec vlla facultas omitti debet, aut vllus ad  
hoc officium idoneus Professor ordinarius, nisi forte or-  
do aliquem tangat, qui tres annos nondum Professori-  
um exornauit munus. Hoc casu aliquoties factum est,  
ut collegium *iuridicum* ac *medicum* subleuatum pror-  
sus fuerit, quod nullus in eo esset Doctor ordinarius,  
qui

---

*i*) Emendandus hinc est HAGELGANSIUS, qui l. c. putat, si  
tantum prima anni dies sit dominica, die VI. Ian. Recto-  
rem fieri nouum.

qui per triennium suum obierit officium. In prima academiae periodo haec integrae Facultatis transitio nunquam contigit: in altera semel medico ordini, 1639. in tertia vero medico bis 1652. 1663. totidemque iuridico 1669. 1672. Senatus vero *theologicus* ac *philosophicus* ad hoc usque tempus nullam sensit interruptionem. Nulli Rectori honor hic vlllo modo ultra annum spatium extendi debet. Denique Rector nouus in conclauis academico, quod Consistorium vocamus, legitime electus ac renuntiatus, praesente Rectore, officium suum deposituro, a Professoribus in aedricium solemne deducitur, a veteri Rectore publice proclamatur, eique insignia Rectoralia decenti caerimonia traduntur, habita ab utroque oratione. Quibus omnibus finitis, in templum parochiale, ad preces, pro salute academiae & noui Rectoris felici gubernatione fundendas, praelatis sceptris, Rector abit, quem comitatur, qui munere Rectorali defunctus est, (vid. infra num. 125.) sequiturque tota Professorum cohors. Atque olim, vt quidam tunc eccinit:

*Hinc petiere domum, seruato hoc ordine primo,  
Cum Polluce suo Castor, Proceresque Lycei,  
Hunc ubi totum actum finiuit vespera coena.*

Quae vero epulae sunt abrogatae, vt infra n. 127. leges.

Sed vel tandem ad enarrandos Rectores omnes accedimus. Quumque historia academiae Gissenae commode in tres periodos, vt alibi *k)* monuimus, dispelci queat: eodem quoque ordine nos academiae huius Rectores enarrabimus, addituri, si quis *secundum*, *tertium* vel *quartum* (vltra hunc numerum nemo enim adsurrexit) consulatu academico fuerit perfunctus. In

*k)* In dem *Hessischen Heb. Opfer* part. I. p. 106.

✻ ) , ( ✻

---

In prima periodo

*inde a fundato Gymnasio illustri & Principali, eoque in  
academiam postea conuerso, sequentes fuere*

Rectores:

- 1) 1605. a die X. Oct. per totum annum sequentem 1606.  
D. IO. WINCKELMANNVS, Theol. Prof. prim. &  
ecclesiastes.
- 2) 1607. D. GOTTFR. ANTONII, Cancellarius acade-  
miae & Prof. Iuris prim. nec non LVDOVICI V.  
Ludouicianae fundatoris, Consiliarius.  
Hoc anno d. VII. Octobr. inauguratio academiae peragebatur.  
De quaestione: *Quisnam primus fuerit acad. huius Rector?* ex  
instituto egi singulari programme, haud ita pridem publi-  
cato, & iam ante adlegato.
- 3) 1708. D. IOSEPHVS LAVTENBACH, Med. Prof.  
ord. & Decanus.
- 4) 1609. IOANNES GEORGIVS, 1) heres Norvegiae,  
Dux Slesuici, Holsatiae, Stormariae ac Dithmarsiae,  
Comes in Oldenburg & Delmenhorst, cet. Rector  
fuit Magnificentissimus,

Prorectore

CONR. THEODORICO, seu DIETERICO, philoso-  
phiae moralis Prof. ord. nec non paedagogiarcha.

B

§ 1610.

- 
- 1) Vid. IOANNIS illius GEORGII regimen academicum, in  
*illustri Hessorum Gissena, anno Christi saluatoris M DC IX.*  
Gissae, MDCX. in 4 quo de egi vberioremq; notitiam,  
occasione erroris, a IO. ADOLPHO HARTMANNO com-  
missi, dedi in progr. meo *de primo acad. Gissensis rectore*, p.  
11. 12. Ceterum obiit optimus hic princeps in acad. Tubin-  
geni 1613.

- 5) 1610. IOACHIMVS ERNESTVS, *m*) heres Norvegiae, Dux Slesuici, Holsariae, Stormariae ac Dithmarsiae, Comes in Oldenburg & Delmenhorst, reliqua, prioris frater, itidem electus fuit Rector magnificentissimus,
- Prorectore
- D. BALTH. MENZERO, Theol. Prof. ord. & Stipp. Ephoro.
- 6) 1611. PETR. FRIDERVS, *Mindanus* a patria dictus, I. V. D. & Prof. ord. itemque Principis consiliarius.
- 7) 1612. D. GREGORIVS HORSTIVS, Med. Prof. ord.
- 8) 1613. PET. HERM. NIGIDIUS, I. V. D. & oratoriae Prof. ord.
- 9) 1614. D. IO. WINCKELMANNVS, Theol. Prof. primar. & ecclesiarum Superint. *Secundum*.
- 10) 1615. IO. KITZELIVS, I. V. D. & Prof. ord. nec non acad. Procancellarius.
- 11) 1616. GREGOR. HORSTIVS, Med. D. & Prof. primar. LVDOVICI V. Hassiae Landgrauii, archiater. *Secundum*.
- 12) 1617. CHRISTOPH. SCHEIBLERVS, logices & metaph. Prof. ord. & Paedagogiarcha.
- 13) 1618. D. IO. WINCKELMANNVS. *Tertium*.
- 14) 1619. HENR. NEBELKRAE, dictus IMMELIVS, I. V. D. & Prof. ord.
- 15) 1620. D. SAM. STEPHANI, Med. Prof. ord.

16)

---

*m*) Hic factus est postea Dux regens in Holsaria, fundavitque lineam Ploenensem. Pater eius erat IOANNES, Dux Holsat. Sonderburgensis, CHRISTIANI III. Daniae Regis, filius.

- 16) 1621. CHRISTIANVS LIEBENTHAL, I. V. D. & eloq. Prof. ord.
- 17) 1622. D. IO. WINCKELMANNVS. *Quartum.*
- 18) 1623. D. HELFRICVS VLTRICVS HVNNIVS, Iur. Prof. ord.
- 19) 1624. D. LVD. IVNGERMANNVS, Med. Prof. ord.

In secunda periodo

*inde ab anno 1625. quo Giffensis academia Marburgum fuit transportata, usque ad annum 1649.*

- 20) 1625. D. BALTH. MENZERS, Theol. Prof. ord. & Stipp, Ephorus. *Secundum.*  
Ipsam, iubente LVDOVICO V. Rectorem academ. renuntiatum esse, eique, ob morbum absentem, *Prorectorem* adiunctum fuisse D. HELFRICVM VLR. HVNNIVM d. 24. Mart. 1629. ipso die restauratae acad. Marburgensis in arce, memorat IO. AD. HARTMANNVS *histor. Hassiaca*, part. II. pag. 373. Clementia haec fuit prorsus inaudita.
- 21) 1626. Cal. Ian. Rector magnificentissimus HENRICVS; Hassiae Landgravius, cetera, LVDOVICI V. tunc regentis, filius, GEORGII frater, Prorectore  
D. IO. BREIDENBACH, I. V. Prof. ord.
- 22) 1627. D. IAC. MVLLER, Med. Prof. ord.
- 23) 1628. Rector magnificentissimus FRIDERICVS, Hassiae Landgravius, reliqua, Prorectore  
IO. HENR. TONSORE, Phys. Prof. ord.
- 24) 1629. D. IVSTVS FEVRBORNIVS, Theol. Prof. primar. & ecclesiastes.  
Hic Rector Rescripto Principali, a GEORGIO Landgrauio die  
B. 2. 1629. XXVI.

XXVI, Febr. h. a. Marburgi dato, primus accepit salarium illud, quo ad hunc usque diem quilibet Rector fruitur.

- 25) 1630. Cal. Ian. ANT. NESENVUS, I. V. D. & P. O.
- 26) 1631. Cal. Ian. IO. KEMPEIVS, Med. D. & P. ord.
- 27) 1632. THEODORVS HÖPINGK, I. V. D. oratoriae & histor. Prof. ordin.
- 28) 1633 Cal. Ian. D. IO. STEVBERVS, Theol. Prof. ord. & Stipp. Principal. Ephorus.
- 29) 1634. d. V. Ian. (quum ipsis Cal. Ian. ieiunia & preces publicae indicta essent) D. IVSTVS SINOLT dictus SCHÜTZ, Consil. Hassio. Darmstad. & Prof. pandect. ord.  
Gissae, quo propter pestem, Marburgi grassantem, academia secesserat, in aedibus Magnifici Rectoris D. STEVBERI primaris electio per suffragia a Senatu acad. est facta. Renuntiatio tamen in auditorio, quod solemne seu Ictorum vocari solet, est peracta.
- 30) 1635. Cal. Ian. D. IAC. MVLLER, Med. & Math. Prof. ord. *Secundum.*
- 31) 1636. CASP. EBELIVS, log. & metaph. Prof. ord.
- 32) 1637. D. MENO HANNEKENIVS, Theol. & ebr. lingu. Prof. ord.
- 33) 1638. IO. KORNMANNVS, I. V. D. & Prof. ord.
- 34) 1639. IO. CONR. SCHRAGMVLLER, Theol. D. & physices Prof. ord. & post eius mense Sept. exeunte abitum in Spirensen civitatem ad Pastoris primarii, Consistorii ecclesiastici Adessoris & Gymnasii Inspectoris officium subeundum, Ex Rector.
- 35) 1640. IO. HENR. TONSOR, Theol. D. & Prof. ord. *Secundum.*
- 36) 1641. IO. BREIDENBACH, I. V. D. & Prof. ord. nec non Consil. Hass. *Secundum.*

37) 1642. IO. DAN. HORSTIVS, Med. D. & Prof.  
ord. itemque archiater Hassiacus.

38) 1643. d. XXIX. Ian. Rector magnificentissimus LV.  
DOVICVS, Hassiae Landgravius, cetera, postea, quum  
ad regimen terrarum Hassiacarum peruenisset, LV.  
DOVICVS VI. vocatus, GEORGII filius, est re-  
nuntiatus, Prorectore

IO. BALTH. SCHVPPPIO, Theol. Lic. eloq. & hist.  
Prof. ord.

Quod paullo serius hic actus sollemnis celebratus tunc fuerit, in  
caussa sine dubio erat Rectoris magnificentissimi aduentus,  
aliarumque solemnitatum adparatus. Refert WINCKEL-  
MANNVS \*) de hoc Principe Rectore, dass, ob er zuvar  
von lahren innig, jedoch bey Empfangung der Scepter die Studen-  
ten mit einer zierlichen lateinischen Oration angeredet, und  
das Rectorat - Amt übernommen habe. In eo vero errat, quod  
hoc anno 1642. factum fuisse scribat.

39) 1644. GEORGIUS, iunior, Hassiae Landgravius,  
GEORGII, tunc regentis, filius aemulus, absens licet,  
Darmstadiique degens, in academia publice fuit re-  
nuntiatus Rector magnificentissimus,  
Prorectore

D. IVSTO FEVRBORNIO, Theol. Prof. prim. cet.  
*Secundum.*

40) 1645. ERNESTVS AVGVSTVS, Dux Brunsvi-  
censis & Luneburgensis, in academia studiorum caus-  
sa agens, Rector magnificentissimus est factus,  
Prorectore

IO. GVALTHERO seu WALTHERO, I. V. D. & Prof.  
ord. itemque Consiliario.

B 3

Hic

---

\*) In der Beschreibung des Fürstenthums Hessen. f. 450. col. 20

Hic ERN. AVGVSTVS erat filius Ducis GEORGII & ANNAE ELEONORAE, LVDOVICI V. *fidelis*, Hassiae Landgravi, filiae, cuiusque gloriosissimus ille Princeps, qui electoralem dignitatem primus in gente sua obtinuit, genuitque GEORGIVM LVDOVICVM, postea magnae Britanniae Regem, patrem Augustissimi hodierni Regis, & avum gloriosissimi fortissimique herois, FRIDERICI II. Borussiae Regis. <sup>o)</sup> Vbi neque id omittere debeo, eo tempore quinque Principes imperii, novem Comites, unum Baronem, permultosque nobiles alios, studiorum causa commoratos esse in academia, docente quoque WINCKELMANNO.

- 41) 1646. IO. TILEMANNVS, Med. D. & Prof. ord.  
 42) 1647. CASP. EBELIVS, log. & metaph. Prof. ord.  
*Secundum.*  
 43) 1648. D. IO. HENR. TONSOR, Theol. Prof. ord.  
*Tertium.*  
 44) 1649. D. IO. KORNMANNVS, Prof. Iuris ord.  
*Secundum.*

Circa finem anni, ut ex monumentis quibusdam didici, fuit Gissae, quo transferebatur rursus academia,

In periodo tertia,

*in academia Gissena MDCL. d. V. Maii restaurata,  
 ad hoc usque tempus.*

- 45) 1650. D. IVSTVS FEVRBORNIVS, Theol. Prof. primar. Ordinis Theol. totiusque acad. Senior, ecclesiastes & Superint. *Tertium.*

46)

---

<sup>o)</sup> Itaque LVDOVICVS V. conditor nostrae academiae, est arvens hodierni Borussiae Monarchae. Vid. *Helden-Staats- und Lebens-Geschichte Fridrichs des andern, Königs in Preussen*, tab. E. ad pag. 215.

46) 1651. Cal. Ian. D. GREGORIUS TVLSNERVS,  
 Consil. Hasso · Darmst. & pandect. Prof. ord.

Renuerat magistratum illum IVSTVS SINOLDVS, cognomen-  
 to SCHÜTZ, ob corporis aegritudinem & duplicem cancel-  
 lariatum.

47) 1652. Cal. Ian. Rector magnificentissimus factus est  
 illustrissimus Dn. WOLFGANGVS CRATO. p) Burg-  
 grauius ( seu Comes ) de Kirckberg, Dominus in  
 Farnroda, cet.

Prorectore

CASP. EBELIO, log. & metaph. Prof. ord. & Paeda-  
 gogiarcha, *Tertium.*

Numquam circa eligendum Rectorique magnificentissimo ad-  
 iungendum Prorectorem maiores in hac academia lites ortae  
 fuerunt, quam hoc ipso tempore. Etenim quum nullus Pro-  
 fessor medicus adesset, qui triennium suum iam absoluisset,  
 (HORSTIVS enim tunc Darmstadii erat) ordinem medicum  
 praeteriti debere, putabant plerique. Negabant hoc fieri pos-  
 se medici, IO. TACKIVS & CHRISTIANVS BVNCKE,  
 hac praecipue de causa, quod academia haec non sit *Mar-  
 burgenfis continuata*, sed *Gissena restaurata*, vnde nec primus  
 Rector fuisset ex Medicorum, quod alias fieri debuisset, sed  
 ex theologorum collegio; omnes itaque Professores, tum  
 Marburgo, tum aliunde accitos, novos esse, qui quoque Prin-  
 cipi & academiae de nouo fidem suam addixissent, partim-  
 que inaugurales habuissent orationes. Statuta itaque loqui  
 de Professoribus academiae constitutae iam superuenientibus,  
 non

---

p) Hic euasit postmodum Principatus Darmstadini Praeses & con-  
 siliarius Princeps, praemature vero fato extinctus d. 29.  
 Iulii 1664. Oratione parentali d. 29. Sept. eiusdem anni in  
 eum habita fuit celebratus ab academiae oratore ordinario,  
 PHIL. LVD. HANNEKENIO.

non autem academiae nouae seu restauratae. Mitto reliqua, vltro citroque tunc disputata. Nihilo tamen minus, suffragiis collectis, ob triennium nondum completum exclusi fuerunt Medici.

48) 1653. Cal. Ian. D. PET. HABERKORNIVS, Theol. Prof. ord. & Superint. Giess.

49) 1654. d. 6. Ian. perillustris ac generosissimus Comes ac Dominus, Dn. VLRICVS, S. R. I. Comes a Promnitz, L. B. in Sorauia, Tribellis & Numburgo, factus est Rector magnificentissimus,  
Prorectore

IAC. LEBLEV, I. V. D. eiusque & Polit. Prof. ordin. nec non acad. Syndico.

Orationes in auspicio & sub finem Rectoratus habitae iunctim sunt excusae, hac inscriptione: VLRICI, S. R. I. Comitum a Promnitz, Rectoratus in illustri acad. Gissenae sollemnia, Gissae 1655. fol.

50) 1655. Cal. Ian. IO. TACKIVS, Philos. & Med. D. Med. & eloq. Prof. ord. & archiater Hasso. Darmst.

51) 1656. Cal. Ian. IO. CONRAD. DIETERICVS, siue DIETERICHIVS, graecae linguae & histor. P. ord.

52) 1657. d. 6. Ian. PHILIPPVS ERNESTVS, Comes de Sain & Witgenstein, Dominus in Homburg, Valendar & Neumagen, cet. Rector magnificentissimus,  
Prorectore

D. IO. NIC. MISLERO, Theol. & Ebr. ling. Prof. ord. nec non Stipp. Ephoro.

53) 1658. III. Ian. IO. CHRISTOPH. L. B. a SCHEIDINGEN, cet. Rector magnificentissimus,  
Prorectore

MART. MVLLERO, I. V. D. eiusd. nec non ethices Prof. ord. 54)

54) 1659. Cal. Ian. HERMANNVS ADOLPH. MAV-  
RICIVS, Comes de Solms, Dominus in Müntzen-  
berg, Wildefeldt & Sonnevvaldt, Rector magnifi-  
centissimus,

Prorectore

D. GEORG. BALTHAS. METZGERO, Med. & Physf.  
Prof. ord.

55) 1660. die XXII. Ian. CASP. EBELIVS, log. & me-  
taph. Prof. ord. Facultatis suae, nec non totius acad.  
Senior & Paedagogiarcha. *Quartum. 9)*

56) 1661. D. PET. HABERKORNIVS, Theol. Prof.  
prim. & Superint. Giff. *Secundum.*

57) 1662. D. GREGOR. TVLSNERVS, I. V. D. Codi-  
cis Prof. ord. Consil. Hasso - Darmst. & Comes Palat.  
Caesareus. *Secundum.*

Academia hos honores destinaverat cancellario suo, IO. OT-  
TONI TABORI, Prof. iur. primario; ipse vero partim ob  
labores quam plurimos, partim ob corporis infirmitatem con-  
stanter eos renuit: vnde tandem, post varias institutas  
consultationes Rector electus fuit TVLSNERVS.

58) 1663. IO. CONR. DIETERICVS, Gr. ling. & hist.  
P. O. *Secundum.*

Iterum hic praeterita fuit Facultas medica, quam alioquin or-  
do tangebatur. Verum quia D. LAVR. STRAVSSIVS, vni-  
cum eius tunc temporis fulcrum, nondum triennium, quod

C

vi

9) WINCKELMANNO itaque ac D. VALENTINI, quos in  
prolusione *de primo acad. Giffensis Rectore* p. 16. laudavi, quod  
quater sceptrum tenuerint academica, ex philosophis solus  
EBELIVS, ex medicis vero etiam HEILANDVS & DILLE-  
NIVS sunt addendi.

vi statutorum in futuro Rectore requiritur, compleuisset, eligi non poterat.

59) 1664. D. IO. NIC. MISLERVS, Theol. & ebr. ling. Prof. ord. itemque Superint. *Secundum.*

60) 1665. d. VIII. Ian. D. IAC. LEBLEV, Iuris & polit. Prof. ord. *Secundum.*

61) 1666. die XIV. Ian. LAVR. STRAVSSIUS, Med. D. eiusd. & Phys. Prof. ord.

Hoc anno magna academiae felicitas obtigit, quod duo Hassiae Principes eam accederent, litteris operam nauaturi: quorum alter sequenti statim anno, alter 1670 sceptrum academiae suscepit. Testis huius rei est Rectoris STRAVSSII *solemnis Musarum πανηγυρις, Gissae indicta, quum Serenissimi Hassiae Landgrauis LVDOVICI VI. munificentissimi Musagetae patrisantis filii, par Principum maxime illustre, rara fratrum gratia, LVDOVICVS & FRIDERICVS, Ludosicianum Athenaeum, studiorum causa, primum ingrederentur. Gissae, 1666. fol.*

62) 1667. die VI. Ian. Rector magnificentissimus inter magnas solemnitates electus ac proclamatus est Serenissimus Princeps ac Dominus, Dn. LVDOVICVS VII. Hassiae Landgrauis, Hersfeldiae Princeps, Comes in Cattimeliboco, Debia, Ziegenhaina, Nidda, Schaumburgo, Ysenburgo & Budinga, cet. Serenissimi tunc temporis patriae patris, LVDOVICI VI. natu maior filius, cuius & in regimine successor, licet per exiguum tempus, factus est,

Prorectore

KILIANO RVDRAVFIO, log. & metaph. P. O.  
63) 1668. d. XII. Ian. illustrissimus Comes ac Dominus, Dn. LVDOVICVS FRIDERICVS, Comes de Wied, Dominus in Runckel, Ysenburg & Massou, cet. Rector magnificentissimus,

Pro.

Prorectore  
 D. MICH. SIRICIO, Theol. Prof. ord. Stipp, Epho-  
 ro & ecclesiaste,

64) 1669. d. XVII. Ian. D. MICH. HEILAND, Prof.  
 Med. ord.

65) 1670. Serenissimus Princeps ac Dominus, Dn. FRI-  
 DERICVS, Hassiae Landgravius, reliqua, Serenissi-  
 mi academiae nutritoris LVDOVICI VI. filius secun-  
 do genitus, Rector magnificentissimus,

Prorectore  
 IO. WEISSIO, practicae philos. P. O.

66) 1671. D. PET. HABERKORNIUS, Theol. Prof.  
 prim. & Sup. *Tertium.*

67) 1672. Cal. Ian. D. LAVR. STRAVSSIUS, Med. &  
 Phys. P. O. *Secundum.*

Iuridicum ordinem hic praetermissum vides, quod nullus in eo  
 fuisset, qui per statuta eligi potuisset.

68) 1673. die VI. Ian. HENR. PHASIANVS, hist. orat.  
 & poes. P. O.

69) 1674. Illustrissimus Comes ac Dominus, Dn. LV-  
 DOVICVS CRATO, Burggravius de Kirchberg,  
 Dominus in Farnroda, etc. Rector magnificentissimus  
 renuntiatus est,

Prorectore  
 D. IO. NIC. MISLERO, Theol. P. O. & Supl. *Tertium.*

70) 1675. Cal. Ian. ANT. HENR. MOLLENBECIUS,  
 I. V. D. & P. O.

